

dissectum fuisse Esaiam putant à genero Manasse. Nam clarius agnosco, quàm multa contineat hypocritis infesta. Nec quisquã est mediocri sensu præditus, qui non idem mecũ videat. Volunt hypocritæ Deũ habere sibi obstrictum, vbi instar puppæ, ceremonijs nescio quibus eum ornarunt. Illudi sibi tam pueriliter nõ patitur: faceßere igitur iubet tales ineptias. Fuit hoc ordinarium Prophetarum certamen aduersus veterem populum. Quicquid nunc Rabbinis coloris obtendant, eadem illis est causa. Interpretatio, inquiunt, vera est: incendio tamen tradatur liber. Fauet enim eorum errori qui templa destruunt. Atqui hoc primo loco quærẽdum erat, sintne templa Baal, an Dei viui, quæ destruuntur. Quòd si illos templorũ cura sollicitat, Christi potius sententiam expungant, quæ multo apertius locorum discrimen abolet, quàm mea annotatio, Venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitur Deus. Nã veri adoratores adorabunt Deum in spiritu & veritate: quia Deus tales quærit cultores. Spiritus est, & vult coli in spiritu & veritate. Ioban. 4. c. 21.